



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 6. Quid, si ex opere requisito, modicum quid omittatur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

Q. 4. Quid, si quis opus expleat ex fine venialiter malo, v. g. ob vanam gloriam?

R. Probabilius adhuc lucrari Indulgentiam. Corduba q. 22. Suarez to. 4. in 3. p. disp. 52. Sect. 6. Filliucius n. 159. Lugo disp. 27. n. 85. Gobat. tr. de Jubil. n. 60. & alii. Ratio est: Quia tale opus manet nihilominus honestum ratione objecti.

Q. 5. An omnia opera praescripta debeant integrè impleri?

R. Affirmativè, cum S. Th. in 4. dist. 20. a. 5. q. 3. quem omnes meritò sequuntur. Et quidem ita integrè, ut si aliqua notabilis pars omittatur, sive ex oblivione, impotentiâ, aut aliâ excusâ, nihil obtineatur de Indulgentiâ. Suarez disp. 52. Sect. 5. n. 3. post alios, & post illum alii. Quia nempe non impletur conditio, scilicet implendi omnia. Quippe Indulgentia non conceditur, divisibiliter pro divisibilitate operis, sed indivisibiliter pro toto opere.

Q. 6. Quid, si ex opere requisito, modicum quid omittatur?

C 5

R. Pro.

R. Probabilius obtineri Indulgentiam, cum Suarez *disp. 75. Sect. 5. n. 4.* Bonacinâ, & aliis, quos sequitur Diana p. 5. *tr. 12. R. 23.* &c. si illud quod omittitur, sit quid leve respectu operis injuncti; ut, si parùm comedas in jejunio: Quia opus tunc ponitur moraliter integrum.

Porro aliqua pars hîc vocatur minima, quæ talis est non tantùm in se & absolutè, sed etiam respectivè ad opus injunctum. Unde quando præscribuntur quinque *Pater & Ave*, non censetur, secundùm Suarez, Joannem Præpositum, & alios, is minimam partem omisisse, qui tantùm quater *Pater & Ave* recitasset. Vid. Dicastillo, *de Pœnit. tr. 9. n. 205. & seqq.*

Q. 7. An, quando ultimum opus factum est in peccato mortali, ideoque non fuit obtenta Indulgentia, ut dictum est *quest. 2.* Indulgentia reviviscat, adeoque sortiatur suum effectum, amoto obice, seu statu peccati mortalis, per confessionem aut contritionem?

R. Existimant reviviscere aliqui, inter